[J. Jones] 5918 C, DM [Dubl. in 1665] £18

Oratio Funebris

HABITA

In Aula Collegii *S. S.* & Individuæ Trinitatis, Coram Academia, Judicibus, & clero inter celebrandas exequias Insigniſſimi viri

MAURITII EUSTACE

Equitis Aurati,

Hiberniæ Cancellarii Ejuſdemque olim Regni Juſtitiarii, 5°. *Julij.* 1665.

Frequens hoc dicendi genus (Auditores) Solitaque hæc perorandi conſuetudo, & innocua hæc cum Manibus colloquia, unà cum ipſis creverunt ſæculis, temporique coæva ſunt; adeo ut ne ipſa quidem mors (inter Heroas velim) magis familiaris ſit, quam funerum ſolennitas: id enim privilegii ſemper habuerunt viri Illuſtriores ut facundè expirarent, & quas hauſerunt animas inter Oratores ponerent, eas (in exitu ſaltem) ex Harmonia compoſitas probaturi, fæliciori, in hoc, fato functi, quod eorum

rum vel exequiæ inter delicias numerarentur. Absit itaque hodiernæ Pompæ invidia, neque is assentandi libidine lascivire existimetur, qui defunctorum gesta modestè recitat; hoc enim non tam artis quam pietatis est officium, & inter leviores Rhetoras habendus est, qui studet cineribus adulari, vel tumulorum umbras captitare; at neque crescenti nepotum famæ hæc consecramus encomia, ne Vicariè quidem adblandientes, sed ut novos ediscant potius quam antiquos vindicent honores, Egregiæ quippe animi dotes nulli hæreditario jure devoluuntur, nec in asse virtus est, Individuâ hæc Æternitati comes per inexplicabilis gyri ludens miracula nec incipit nec desinit, sed ultrà omnes limitum terminos luxurians, in se usque & usque redit, suumque sibi complementum est.

Quam imparem subeunt provinciam, quantumque in magnis argumentis laborant ingenia; vestrum Auditores testor dolorem: Oratorem itaque præsenti quam apprimè utilem negotio nacti estis & Gravitati consonum, ignaris etenim nulli melius vel obstupescunt vel admirantur: neque tamen ullaEustacii gloriæ vis infertur quod mutuari laudes non possit; nec ei demptum quid exindè reperitur, quod in tanto Funere Rhetoricantur inepti, vel muti hactenus eloquuntur. Cum enim (ut in Cancellario nostro) eò animi Majestas evecta sit; ut ultrà artes sedem posuerit; quolibet a præcone ebucciuntur, in publicas delabitur curas parilemque omnibus tam scribendi materiam quam licentiam suggerit: licet enim in tantis Magnitudinis Angustijs loqui ridiculum videretur; tacere tamen nefas esset, ne a posteris in Illius fati commemoratione silentes, non tam rudes, quam ingrati haberemur.

Conveniistis itaque non unius viri interitum, sed nostri orbis infortunium ploraturi: in Mauritio enim quicquid grande

grande vel magnificum ſonat; quicquid nominis haveſtas vel claritudo polliceturſquicquid denique vel vulgus ſolet, vel fama poſſit fingere, interierunt omnia, & in communi hâc urnâ tumulantur: tituli nempè illi mortalitatis hami & illecebræ; crebri tumeſcenteſque plebis plauſus, muſicæ iſtæ magnorum procellæ, a populari aura, Syrene novâ blandiûſque crudeli excitatæ, imo & honores illi, quos veros mentimur, ferè omnes in illius Epitaphio laſſati dormiunt: quaſi ideo ſolummodo grandeſcerent homines ut Auguſtius perirent nihilque inter humana magnum & memorabile, præter monumenta duraturum ſit, tanquam lemniſcatis ideo fucis, vittatiſque honoribus ideo induerentur nobiles, ut ſolenniores tantùm fiant victimæ, & opima magis morti ſpolia exhibituri ſint.

At ſua nihilominus unguenta virtus habet, ſuuſque ſibimetipſi bonus quiſque Marcelianus eſt; interque aromata ſpirat Pyramidum capſulis longè dulciora, & Mauſolæa conſequitur multo certiora, quam quibus vel a Corintho vel a Memphide poſſit donari: & hâc immortalitate Euſtacius *noſter pluſquam felix eſt, ſic adhuc eſt ſuperſtes, cumque ipſa emoriantur ſepulchra ſibi futurus Rogus eſt, ultraque oblivionis invidiam vivet, Illiuſque memoria ſemper recens, efflorescenſque ſemper, vel cum ipſa temporis ſenectute juveneſcet.*

Sed quia nulla ſit fortunæ amplitudo quantumuis maxima quæ ſua non habuit incrementa (aliqua enim in immenſis methodus eſt) pace veſtra Auditores liceat retroſpicere, & ſi de cunis & Euſtacio *ſimul loqui non ſit piaculum, cogitemus illum aliquando infantem, aliquando natum, (neque enim par eſt ut inter tot virtutes, viri oblivi ſcamur) huic itaque Regno natalitias debet, familiâ oriundus antiquâ æque ac nobili, ſed quæ inter tot tantaſque Illuſtrium*

imagines nusquam superbit magis, magisue sibi, quam in Mauricio *suo gratulatur; quanquam etenim Domus illa per tot lustra claruerit, ut dubitari possit, an Antiquiorem ipse Sol naturæ primogenitus, ortum jactaverit; infinito tamen huic computo addidit* Mauricius *splendorem, novosque superinduxit radios, quibus ipsa Claritas perspicua magis & illustris reddebatur.*

Iamque (Auditores) indulgete paulisper pietati, mihique copiam facite, ut inter tot Eustacij *insignia, & unum Matri nostræ Tholum suspendam: In illo, Academia nostra & Viduatur & orba est, filiumque Virumque unà amiserat; hic cunas habuit, eademque ubera quæ Vos alunt, illa a quibus* Usherus *lacteas cæli Vias, imo ipsos Cælos Exuxerat,* Eustacio *maturitatem contulerant; nec erat de Collegij Vulgo, at Juvenis ille Undiquaque nobilis, inter Sodalitij proceres adscitus, Socius fuit, & in hoc musarum Regno* par *habebatur; Neque enim Ecclesia tantum sed & curia* Feliciori *hujus loci genio suos debet Primates: At non aliquorum instar graviter infantescentium, maternos inter amplexus consenuit, sed ut ætate, ita & curâ provectior ad altiora se accinxerat, totumque se cui natus est Reipublicæ impenderat; primaque optimæ indolis sub* Straffordio *(tum rerum tum hominum æstimatore optimo) specimina edidit; In Cujus Parliamento Prolocutoris Vice fungebatur, & tantam sibi inde conciliavit gloriam ut nihil tunc dierum præter Crumenam deerat quin Cancellarius audiret. At illi soles nimis eheu candidi erant; illi dies fælices nimium nimiumque* Regii *erant quam qui vulgo placerent; tunc fuimus Troes, tunc Trinobantias & ingens rerum gloria stetit: at in ipsis (credite mihi) Imperijs aliquid fœmineum est, & gravis illa Reipublicæ facies ad speculum componitur, ubi se Fortuna intuetur, sibique eodem momenti turbine placet, displicetque, brevique novi-*

novitatis ſtatim inoleſcentis affecta tædio, mutatque, corrigitque, perque omnes laſciva metamorphoſes tranſcurrit, nec eâdem vultus Serenitate ſemper effulget, ſed inoratis aliquando ſparſiſque capillis videtur ſquallere: & ea hujus regni tunc facies erat; nec Comis tantùm ſed & capite ſploliabatur, impiaque fortuna ſuis devecta rotis, Carolique quadrigâ incedens, tria vertigine regna rapuit, in qua ruina cecidit Euſtacius; *Neque enim hic ſtetiſſe Robur animi ſed imbecillitatem denotaſſet talemque vel* Alexander *ambiret caſum, elabente mundo; ſic periiſſe non tam clades erat quam pietas, nec infortunium ſed obſequij munus, ſublapſis enim Regiæ domus fundamentis* Stantia non poterant Tecta Probare Deos: *Hujus Excidij pars erat* Mauricius, *qui licet non totus occubuerit, mortuus tamen vixit, & quamvis tumuli beneficio non redimebatur, probuſto carcerem ſubivit, Vivuſque tumulabatur, & catenis, mortis compedibus durioribus ſuo ſe devinxerat Carolo: Inter has ille procellas immotus manſit, Ruinæ tamen publicæ minime expers, ſed infracti erat animi, & tanquam ſcopulus in mari Britannico natabat, Inſulæq; inſtar fluitantis, ipſe ſibi in Diluvio erat Continens, in tantis ille motibus nihil de animi conſtantia remiſerat, ſed malignioremferendo fortunam correxit; Nec cum Caroli occaſu erubuit, ſed noſtrum & in Occidente Solem Venerabatur.*

Cum vero Platonicè nobiſcum ageretur, Aureaq; laſſato ferro Sæcula redirent, & in priſtinum omnia ſtatum redintegrarentur; Cui ille loco, quibus honoribus ſucceſſit, Vos appello judices: Noſtis enim quam æquis mentis ponderibus, quantis animi libramentis, dubia trutinaverat; quantos legis nodos judicij acumine lævigavit; quamque in diſtribuendâ juſtitiâ cæcè erat oculatus. Et quoniam Principibus viris placuiſſe inter laudes ultimas nunquam cenſebatur, Illuſtriſſimo Ormoniæ *Duci erat Charus, cujus una approbatio aliquem vel inveniret vel faceret inſignem,*

Unuſq;

Unusq, cujus calculus totam famæ urnam impleret, nigraq; omnia quam fœliciſſime dealbaret, Habet enim id dignitati prærogativum Euſtacius, *ut Invidioſus ſit; ipſa quippe Majeſtas quamvis venuſtiſſima, ſplenijs decoratur, & nihil plebi niſi quod plebeium, omni ex parte placiturum eſt.*

Ille, & in ætatis ſuæ, & Regni tempeſtatibus, tribunal aſcendit; cum enim revaleſcit intemperies attentiore curâ & majore arte opus eſt ne recrudeſcant vulnera, quam Solertiam ille mirificè præſtitit, & inter ſuos morbos Reipublicæ ſaluti totus incubuit, quam vigil in obeundis ſuis erat munijs, & jam conſtat, adhuc enim Illius vivit induſtria, Ejuſq; labores catenatī diſſolutum ferè Regni hujus ſtatum etiammum ligant, & amico componunt Ordine:

Quodq; civilibus non magis quam Eccleſiaſticis rebus erat intentus, vel inde colligimus, ex opulentiſſimis quibus Eccleſiam reditibus auxit, qui tam prodigè extiterunt largi ut aliqui multo minore pretio inter alios emiſſe cælos ferantur, Sed quæ Deo damus reddere potius quam donare *dicimur*, Mau ritius *tamen ſummâ laude dignus eſt quod debita perſolverit: Nihil enim vel in Religione vel in honeſtate Supererogatorium eſt, Nec majorem quis gloriam poteſt conſequi quam ut verè honeſtus diceretur. Noluit* Euſtacius *ut hæredes ulli Chriſti patrimonium decoquerent, ut Regis inſtar Babylonici ſacra Templi Vaſa inebriarent, aut Coronatas Sanctuarij patinas vel Baccho, vel litarent Cereri.*

Et inter alias ejus munificentias, Nos etiam particulam habemus; ne enim Orientis literæ ſub frigidiore hoc Cælo langueſcerent, Hebraico Prælectori Stipendium deſtinavit, & hoc certe in dono de bonis omnibus meretur: Hæc vera eſt magnificentia, non viros ſed Artes ditare, & in Supremis

premis Doctrinam tabulis hæredem conscribere; At eheu perierunt omnes qui talia meditabantur beneficia. Nulli nisi morituri Scientiis sunt munifici, *& profectò par est ut tam nobile Heroici Spiritus specimen à talibus solummodo exhiberetur, ab eis Scilicet vel qui cælos intraturi sunt, vel qui jam intraverant, immortales enim fovere Scientias, vere Angelicum est; Huic vel illi viro aliqui fortasse sunt benigni, suæque non minus ambitioni quam clienti inserviunt, sed sint munifici, & cum prodigere statutum sit; Cur non Diogeni æque ac Cinnamo dare summa haberetur nobilitas; at quis cum* Eustacio *artes intereà obligaturus est? Quis prælectiones ædificat? in quibus fæliciùs multo doctiùsq; quam in lapidibus Spiraret;* O beatas & generosas verè, Margaretæ & Savilli animas! quæ in duobus Professoribus bina Æternitati Collegia erexerant.

Sed ad Cancellarium rediimus, & magni illius Viri fata dolemus simul & congratulamur: mori enim non tam triste sonat ac timores nostri metusq; nobis effingunt; sed idem ferè est, ac de Hebraicis Cancellarij donis latinè loqui; Transferuntur *nempe pij, & quanquam Omnes ad instar Mosis inter obeundum non evanescant, Eandem tamen metam repetunt; at* Eustacio *nostro (Verbis parcite) haud absimilis contigisse mors videtur, ejus enim inter has Solennitates Corpus nullibi apparet, nec* Mauritium *hodierno die sed Sarcophagum ejus sumus sepulturi, & præsentes hi Exequiarum ritus quam Exactissima morientium bonorum sunt Emblemata; Non enim viros, sed lodices, non* Mauritios, *sed sarcophaga tumulamus: Quid enim aliud corpus est, quam theca animæ; quæ cum Sacris pectoribus insederit,* Corpus, Ægisue *appellatur, cum vero detrahitur, aut loricæ, aut cadaveris, aut abjecto cophini nomine est contentum. Omnia* bonorum *sunt immortalia; nihilque*

præter

præter Terminum, Mors est : Est secunda inter Christianos notio, vel si mavultis, est umbra Idæarum intùs divinitate quâdam conceptarum, Cælestia contemplantibus gaudia, quæ tamen exprimere non valent, nisi Chimæræ hujus non tam ope quam Ministerio utantur : Beatitudinis quippe scientia, æquè ac cæteræ, *sua cudit verba, rebus apta magis quam Elegantia, & talia inter pios* mori & Sepeliri *sunt. Eis omnibus idem iter est, eademq; calcanda est via, licèt alter pedes, Equesque fortasse cælos ascendit alter, vel cum Elia in quadriga illùc flammea peregrinatur, easdem alij febris præstat vices. Ille quem amissum nostra deflet ignorantia ab Angelorum choris excipitur, interq; Supinos illos extasiarum plausus nostræ jam ridentur lachrimæ : Sed requiescant pij Cineres, & mortalitatis tædium edormiscant, discantq; a* Mauricio *posteri. Ut si vel famæ, vel immortalitati consulant, & bene Vivant, & Minervalia elargiantur, laudabilique & ingenuâ hâc ambitione fulti, terrâq; cæloque sunt futuri Nobiles.*

JO. JONES

In Art. Mag. Sacræ & individuæ Trinitatis Collegij juxta Dublin Soc. Comit. De Arran Sacel. Domest.

448108

UMI